

**BREVILOQVIUM**  
DE SAPIENTIA SANCTORVM

Comment [c1]: Pg.427

\* \* \* \* \*

**PROLOGVS**

Comment [c2]: Pg.429

1 Cum *vani sint homines omnes, in quibus non est scientia Dei*. Sap. 13. licet in priori tractatulo fuerint aliqua collecta de vita philosophorum gentilium, et eorum dictis, ac exemplis, quia tamen non fuit in eis scientia Dei vera, nec egerunt gratias ipsi summo Creatori, qui ipsis reuelauit ea, quae nouerunt, euanuerunt in cogitationibus suis, et dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Rom. 1. *Stultus enim factus est omnis homo a scientia sua*. Ierem. 10. Ideo expediens esse credidi aliqua colligere de philosophia, siue sapientia sanctorum, qui fuerunt veri philosophi, et vera sapientia illuminati. Philosophari enim est amare Deum, etiam secundum Platonem, vt ait Aug. 8. de Ciuit. c. 8. Et quia sancti fuerunt veri amatores Dei, ideo et veri philosophi. Vnde in laudem iusti Sap. 10. *dedit illi scientiam sanctorum*, haec enim est scientia animae, scilicet quae illuminat vera illuminatione, de qua Prouerb. 9. *vbi non est scientia animae, non est bonum*. Et quia in alio tractatu prosecutio facta est de philosophia sub nomine *Philosophiae*, ideo hic agetur de ea sub nomine *Sapientiae*, quae merito appropriatur scientiae sanctorum. Philosophia enim est amor sapientiae, et ita sapientia ista dicit maiorem perfectionem, quam illa philosophia vi nominis; vna tamen sumitur pro alia saepe. Et quia sapientia aliquando sumitur in bono, aliquando in malo in sacra scriptura.

Comment [c3]: Pg.430

CAP. I.

Quid sit sapientia definitiue.

2 Ideo primo videndum est, quid sit sapientia in communi definitiue, vel descriptiue, et in quantum nominat id, quod est cognitionis vel notitiae. Secundo de sapientia vt sumitur in malo, nam illa est *excludenda*, et cauenda. Tertio de Sapientia prout sumitur in bono, quae est appetenda, et inquirenda, quae est sanctorum philosophia. Sapientia dicitur ab eo, quod est sapere ait Aug. 12. de ciuit. c. 2. Et quia sapere aliquando contingit in bono, aliquando in malo, ideo sumitur sapientia sic et sic.

Comment [c4]: Pg.431

Definitur autem, siue describitur sapientia in communi, et in quantum est speculatiui intellectus rerum vniuersaliter, comprehensio veritatis rerum, quae verae sunt, siueque immutabilem substantiam sortiuntur, vt ait Boetius lib. 1. Arithmeticae c. 1. Gondisaluus lib. de Anima, et Hugo lib. 1. Didascal. c. 3.

3 Item, sapientia est rerum diuinarum, et humanarum scientia, et cognitio ait Tull. lib. 4. Tuscul. vel sapientia est proprie rerum diuinarum agnitio, ait Macrob. lib. 1. Saturnal. siue scientia veritatis rerum sempiternarum, ait Gondisaluus de ortu scientiarum, et concordat cum *Augustino*, qui ait, quod sapientia est rerum aeternarum intellectualis cognitio 12. de Trinit. in fine. Vel, sapientia est honorabilissimorum scientia, vt ait Sapiens Ethic. 6. Vel sapientia est

Comment [c5]: Pg.432

noscere diuina, et humana, et eorum causas, Seneca ep. 89. Vel, sapientia est semper idem nolle, et idem velle, idem Seneca epist. 56. Definitur autem aliis modis a diuersis prout non solum illuminat intellectum, sed prout dirigit, et informat affectum; vt patebit infra.

## CAP. II.

*De sapientia, prout dicitur in malo, et qualis est illa, et quot modis dicitur?*

4 Et quia sapientia sumitur aliquando in malo, vt dictum est, quia terrena, animalis, Diabolica, *quae non est de sursum*. Iacob. 3. quae est declinanda, et cauenda a sanctis, licet in ea gloriantur **sapientes** mundi, de qua Gregor. bene Moral. x. c. 16. exponens illud Iobi 13. *deridetur iusti simplicitas*. Huius (inquit) mundi sapientia est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quae falsa sunt, vera ostendere; quae vera sunt, falsa demonstrare. Haec nimirum prudentia vsu a iuuenibus scitur, haec a pueris pretio discitur, hanc qui sciunt, caeteros despiciendo, superbiunt; hanc qui nesciunt, subiecti, et timidi in aliis mirantur, quia ab eis haec eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, dum mentis peruersitas vocatur vrbانيتas. Haec sibi obsequentibus praecipit honorum culmina quaerere, adepta temporalis gloriae vanitate gaudere, irrogata ab aliis mala multiplicius reddere, cum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere, cum virtutis possibilitas deest, quicquid per malitiam implere non valet, hoc in pacifica bonitate nititur simulare. Haec ille. Et haec sapientia **mundana** vel est ad malignandum, vel ad nocendum illis modis, quibus potest, verbo, vel facto Ierem. 5. *Sapientes sunt vt faciant mala, bene autem facere nesciunt*. Vel est ad volutandum, vel ad delectandum in delitiis carnis, et ideo vocatur prudentia carnis. Rom. 8. *prudentia carnis mors est*. Vel est ad quaerenda lucra, vel commoda mundana, vel honorum culmina: *prudenciores enim sunt filii huius saeculi filii lucis* Luc. 16. Et hae omnes sapientiae non sunt de sursum, sed de deorsum: et prima potest dici Diabolica, secunda animalis, tertia terrena

Comment [c6]: Pg.433

Comment [c7]: Pg.434

## CAP. III.

*Qualiter sapientia, quae consistit in cognitione rerum, est dirigenda, et ordinanda?*

5 Prima sapientia, scilicet quae consistit in cognitione rerum, est dirigenda, et ordinanda ad debitum finem; nam contingit ea **abuti** **tumore superbiae**, **inflando**: *scientia enim inflat* 1. Cor. 8. prout ait Bernard super Cantic. Serm. 36. Sicut, inquit, cibus indigestus, qui non habet decoctionem, generat humores malos, et corrumpit corpus; si vero digestus fuerit, nutrit; sic scientia stomacho memoriae indigesta, si non fuerit igne charitatis digesta, malos humores generat: mali enim humores sunt mali mores, et haec scientiae inflatio deiicit, dum extollit. Obstaculum enim veritatis est tumor mentis, quia, dum inflat, obnubilat, ait Gregor. 23. Mor. c. 10. exponens illud Iob. 33. *in quo non es iustificatus*.

Comment [c8]: Pg.435

6 Item contingit abuti ea, de ipsa praesumendo, et aestimando habere maiorem sapientiam, quam quis habeat. Iob. 38. *Non audebunt contemplari omnes, qui sibi videbantur esse sapientes*, vbi Greg. 27. Mor. in fine. Contemplari Dei sapientiam non possunt, qui sibi sapientes esse videntur, quia tanto ab eius **luce** longe absunt, quanto sunt apud semetipsos non humiles. Matth. XI. *Abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et reuelasti ea paruulis*.

Comment [c9]: Pg.436

7 Item contingit abuti ea ad scienda inutilia, curiose laborando, vel eam turpiter vendendo, vel inaniter exterius gloriando, prout ait Bernard. bene serm. superius dicto. *Qui*, inquit, Apostolus, *putat se aliquid scire, sit stultus, vt fiat sapiens* 1. Cor. 3. Non probat Apostolus multa scientem, sed sciendi modum, scilicet si nescierit, vt sciat, quo ordine, quo fine nosse quaeque oporteat. Quo ordine, vt illud prius, quo maturius ad salutem. Quo studio, vt illud ardentius, quo vehementius ad amorem. Quo fine, vt non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed ad aedificationem tantum suam, vel proximi. Sunt, qui scire volunt, vt sciant, et turpis curiositas est; et sunt qui scire volunt, vt sciantur, et turpis vanitas est; et sunt, qui **scire** volunt, vt scientiam vendant pro pecunia, vel honoribus, et turpis quaestus est, et sunt, qui scire volunt, vt aedificent, et charitas est. Haec ille.

Comment [c10]: Pg.437

8 Sicut ergo philosophi nobiliores ordinauerunt philosophiam ad correctionem morum, et philosophati sunt propter finem boni secundum August. 8. de Ciuit. vt habitum est supra in priori tractatu; ita philosophi fideles multo magis debent philosophiam diuinam, siue sapientiam coelitus sibi datam ordinare ad praedicta, et ad gloriam Dei, non praesumendo de sua sapientia, nec se extollendo, vt non stulti habeantur ante Dominum. *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt*. Rom. 1. vt enim ait Gregor. Mor. 20. c. 15 exponens illud Iob. 30. *fili stultorum etc.* Tanto quippe amplius quisque stultus est, quanto conatur exterius sapiens videri, *peribit enim sapientia a sapientibus, et intellectus prudentium abscondetur*. Isa. 29.

9 **Item** ex quo philosophi nobiles nolebant profiteri se esse sapientes: sed philosophos, id est, studiosos, et sapientiae amatores, arrogantissimum erat se profiteri sapientem, vt dictum est de Pythagora in alio tractatu, et de Socrate, qui dicebat se nihil scire; praesumptuosum est aliquibus minus scientibus iactare se esse sapientes, ideo secundum consilium Apostoli 1. Cor. 3. *Si quis videtur inter vos sapiens esse, stultus fiat, vt sit sapiens*. super quod Gregor. mor. 17. in fine. Si veraciter sapientes esse, atque ipsam sapientiam contemplari appetimus, stultos nos humiliter cognoscamus, derelinquamus noxiam sapientiam, discamus laudabilem fatuitatem. Vnde et Zachaeus, cum *non posset videre Iesum prae turba, ascendit in arborem Sycomorum, vt eum videret*. Luc. 19. Sycomorus ficus fatua interpretatur. Quia qui mundi stultitiam humiliter eligunt, sapientiam Dei subtiliter **contemplantur**, ait ibi Gregorius. Cum magna ergo discretionem est ista sapientia dirigenda et ordinanda, recte vtendo ea, et abusionem omnem praecauendo.

Comment [c11]: Pg.438

10 Item est sapientia ad seducendum, ad quam cauendam monet Apostolus Coloss. 2. *Videte, ne quis vos seducat per philosophiam, et inanem fallaciam*, et omnis talis sapientia est exterminanda omnino, quia non compatitur secum sapientiam diuinam. Sicut nec cum stultitia est sapientia vera, prout ait Gregor. Mor. 18. c. 22. exponens illud Iob 28. *abyssus*, dicit, *non est in me*, scilicet sapientia: quia iniqua mens, dum esse sapiens carnaliter appetit, stultam se esse ad spiritualia ostendit.

Comment [c12]: Pg.539

#### CAP. IV.

##### *Quaenam est sapientia sanctorum proprie dicta?*

11 Quae vero sint in sapientia philosophorum fidelium, **et recte viuentium**, ac vtentium ea, Gregor. Moral. X. c. 16. super illud Iob. 12 *deridetur iusti simplicitas*, ita explicat. Iustorum sapientia est nil per ostentationem fingere, sensum verbis aperire, vera vt sunt, diligere, falsa deuitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quam facere, nullam iniuriae

Comment [c13]: Pg.440

vtionem quaerere, pro veritate contumeliam computare lucrum. Sed haec iusti simplicitas deridetur, quia a mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur. Haec ille.

12 Nihilominus sapientia fidelium describitur, siue definitur a sanctis multipliciter. Sapientia enim est veritas, qua cernitur, et tenetur summum bonum, ait August. 2. de liber. arbitr. cap. 9. Vel, sapientia est modus animi, quo ipsa librat, vt neque excurrat in nimium, neque infra id, quod est plenum, coarctetur. Augustinus de vita beata ante finem. Vel, Sapientia est via recta ad veritatem ducens. Vel sapientia est regimen vitae humanae. August. lib. 1. de liber. arbitr. c. 9. Vnde ibidem c. 10. ait. Sapiens est, qui in regno mentis omnis libidinis subiugatione est pacatus. Et idem Aug. de vtilitat. credendi c. 12. Sapiens est, cui inest quanta homini inesse potest, ipsius hominis, Deique firmissime percepta cognitio, atque huic cognitioni vita, moresque congruentes. Et ibid. c. 15. Sapiens est, qui ita Deo mente est coniunctus, vt nil interponatur, quod separet.

Comment [c14]: Pg.441

13 Vel sapientia est sapor, siue amor boni, Aug. de Spiritu et Anima c. 8. et huic concordat Bernard. super Cant. serm. 85. vbi ait, quod sapientia est amor veritatis, vel sapor boni; ipsa enim ordinat, deliberat, et moderatur. Et ser. 50. Sapientia est, per quam res sapiunt, prout sunt, et sapiens est, cui res sapiunt sic, et res diligit, sicut sunt diligendae. Vel, sapientia est insipientiam agnoscere, quae quidem sapientia est de numine Dei. Idem sermon. 20.

## CAP. V.

Comment [c15]: Pg.442

### *Quot modis dicitur sapientia sanctorum?*

14 Et licet sapientia fidelium sic dicatur, et etiam aliis modis a sanctis descriptiue; nihilominus dicitur determinatiue variis modis. Est enim sapientia fidelium veritas fidei indubitata. Iob. 1. *Boues arabant*, vbi Gregor. Mor. 2. sapientia nostra fides est, propheta attestante, qui ait, nisi *credideritis, non intelligetis* Isa. 7. secundum aliam litteram.

Item, secundo modo dicitur sapientia, feruida charitas, quae inflammat et illuminat, prout ait Hugo lib. 3. de arca Noe c. 8. Charitas est sapientia, quia per istam gustamus Deum, et gustando cognoscimus: *gustate, inquit et videte. Qui enim diligit, in lumine manet* 1. Ioan. 2.

Tertio modo dicitur sapientia, pietas, siue cultus Dei, ait Aug. de Ciuit. 14. in fine, et ep. 34. idem, et de Spiritu et Anima, vbi supra. Qui quidem cultus appropriatur firmitati spei.

Comment [c16]: Pg.443

15 Item sapientia dicitur quarto modo, humilitatis veritas, prout ait Gregor. Mor. 28. c. 3. Prima stultitia Angeli elatio cordis fuit; sed vera sapientia hominis efficitur humilitas suae existimationis, quam quisquis vel magna sapiendo deserit, eo ipso vehementer desipit, quo semetipsum nescit. Iob 38. *Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis*, quod exponit ibi Gregorius de praesumentibus ob suam sapientiam.

Item sapientia dicitur quinto modo, filialis timor. Iob 24. *timor domini ipsa est sapientia, et recedere a malis intelligentia* et Eccles. 1. *plenitudo sapientiae timere Dominum*. Vnde et Bernard. super Cant. serm. 23. Cognitio non facit sapientem, sed timor, qui et afficit.

Item sapientia fidelium dicitur sexto modo, obseruantiae mandatorum Dei perfectibilitas. Deuter. 4. *Haec est vera sapientia, et intellectus coram populis, vt audientes praecepta haec, dicant: En populus sapiens, et intelligens*. Et sapientiae sic dictae competunt descriptiones datae ab Augustino, quod sapientia est modus animi, vel regimen vitae humanae.

Comment [c17]: Pg.444

16 Item dicitur sapientia septimo modo, vt tactum est, sapor boni; dicitur enim sapientia a sapore. Recta aestimatio rerum cum vero sapore perfecta sapientia est, et sapiens est,

cui res sapidae sunt, vt dictum est: omnia enim distinguere sapientiae est, ait Seneca ep. 54. et 83. sapiens omnia examinabit, et viro sapienti notum est, quanti res quaeque aestimanda sit, siue taxanda. *Spiritualis omnia iudicat* 1. Cor. 2. quia super omnia est, vt exponit Aug. c. 6. de vera relig. Et hac sapientia est praeditus solum, qui est a Deo diuina gratia illuminatus. Tali enim sapiunt res diuinae, vt diuinae, et humanae, vt humanae, et sic de aliis; quia diligit res, vt sunt diligendae, amor enim boni sapientia est, vt dictum est.

Comment [c18]: Pg.445

17 Item sapientia dicitur octauo modo, Sacrae Scripturae, et arcanorum eius luculenta cognitio, siue recta intelligentia; in ipsa enim continetur omnis sapientia, et ad hanc inuitat Salomon in libris suis, sicut Prouerb. 1. *Sapientia foris praedicat etc.* et consequenter quasi per totum: et in lib. Sap. 6. *Clara est, et quae nunquam marcescit sapientia.* et sic de aliis. Et Eccles. 1. *Omnis sapientia a Domino Deo est:* et saepe post. Hanc sapientiam commendare vel describere superfluum est.

18 Item sapientia dicitur nono modo, vita excessiua, siue excellentissima in contemptu omnium mundanorum, et in adimplerone diuinorum consiliorum, qualis fuit vita Apostolorum, et eorum sequacium, de qua sapientia 1. Cor. 3. *Si quis videtur inter vos sapiens esse, in hoc saeculo stultus fiat, vt sit sapiens.* Super quod Gregor. Mor. 27. c. 16. in fine. Quid in hoc mundo stultius, quam amissa non quaerere, possessa sapientibus relaxare, nullam pro acceptis iniuriis iniuriam reddere, imo et adiunctis aliis patientiam praebere? Et sequitur. Per hanc sapientem stultitiam per contemplationis lumen sapientia quasi in transitu videtur 1. Cor. 2. *quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.*

Comment [c19]: Pg.446

19 Et haec fuit sapientia, et philosophia antiquorum Patrum, de qua egregie Chrysostomus super Matthaem hom. 8. ante finem loquens de illis. Vera, inquit, philosophia, et coelis digna ipsa est, quae per pisces annuntiata est. Et sequitur. Noctes, inquit, in sacris hymnis, dies autem in orationibus, et operibus manuum consumunt, Apostolicum imitantes zelum. Et ibidem. Non minus viris philosophantur mulieres; commune enim eis et viris est bellum aduersus Diabolum, et potestates: et mulieres viris magna charitate feruentiores sunt multoties; et praeclara trophoea vtrique statuerunt. Et exemplificat de Sancto Antonio, de aliis Patribus, et prophetis, nec non et de aliis sanctis tam in veteri testamento, quam in nouo, qui summam philosophiam demonstrauerunt, id est, vitae Euangelicae excellentem perfectionem.

Comment [c20]: Pg.447

20 De consimili philosophia praedictorum idem homil. 49. ante finem, vbi ait, quod haec est summa ars, sic omnia contemnere propter Deum, et elargiri pauperibus, quia tali arte construunt aedificia, vel tabernacula coelestia. Et ibi de hoc large disserit. Idem super Matth. hom. 1. Arma militum Christi non sunt ex corio, et ferro constructa, sed ex veritate, et iustitia, et fide, et philosophia; hac enim philosophia contempserunt praedicti patres omnia delectabilia, sustinuerunt terribilia, desiderarunt sola coelestia. Iob 1. *Scidit vestimenta sua.* Vbi Gregor. Mor. 2. c. 10. Nonnulli magnae constantiae philosophiam putant, si disciplinae asperitate correcti, ictus verberum, doloresque non sentiant. Nonnulli vero tam nimis percussionum flagella sentiunt, vt immoderato dolore commoti, etiam in excessum linguae dilabuntur; sed quisquis veram philosophiam tenere nititur, necesse est, vt inter vtrumque gradiatur. Non enim est pondus verae virtutis insensibilitas cordis. Rursum, virtutum custodiam deserit, qui dolorem verberum vltra, quam necesse est, sentit.

Comment [c21]: Pg.448

21 Mira ergo fuit philosophia, siue sapientia praedictorum patrum, de qua bene disserit Sozomenus lib. 1. historiae tripartitae cap. XI. vbi dicit. Vtillima res ad omnes homines venit (scilicet philosophia monachorum) quae multarum doctrinarum, ac Dialecticae artis studia despicit, tamquam sit minuta, et melioris operis tempus impediatur, atque ad recte viuendum nihil ostendat. Haec vero philosophia conuersatione miranda, naturalique, simplicique prudentia docet

Comment [c22]: Pg.449

omnia, quae nequitiam perimunt, et quae operantur vtilia. Non praedicat virtutem, sed magis exercet, vilipendens humanam gloriam, viriliter resistens passionibus animae: neque naturae necessitatibus se subdit, nec corporis infirmitati succumbit, diuinae mentis virtutem habens, semper contemplatur omnium creatorem. Et sequitur: Patientiam, et alias virtutes meditatatur, in quantum naturae humanae est possibile, Deo esse vicinum, velut in transitu vtens praesentibus. Et post. Cum sit rationale, omne irrationale fugit, passiones animae et corporis deuincit. Huius elegantissimae philosophiae magistri fuerunt, vt quidam dicunt, Elias, et Ioannes Baptista.

22 Deinde addit. Philo autem Pythagoricus refert suis temporibus vndique fuisse egregios **Hebraeorum** in quodam praedio, circa stagnum Mariae in quodam colle posito, philosophatos. Habitaaculum eorum, et cibos, et conuersationem talem introducit, qualem, ait, et nos nunc apud Aegyptiorum monachos esse conspicimus. Scribit enim eos cunctis abrenuntiare permixtionibus, extra muros habitare in agris, domos eis esse sacraria, quae nunc monasteria nuncupantur, diligenter psalmis, et hymnis placare diuinitatem, et ante solis occasum non gustare cibum; alios autem per tres dies, et amplius, certisque diebus vino semper, et sanguinem habentibus abstinere, cibum eis esse panis, et salis, et hyssopi, et potum aquae, multum eis cohabitare seniores virgines propter amorem philosophiae. Haec Sozomenus; vbi multa alia egregia narrat, et specialiter de magno Antonio. Quae quia opportuna sunt volentibus philosophari in dicta philosophia caelica, quaedam subscribentur.

Comment [c23]: Pg.450

23 **Hic** Antonius puer, relictus orphanus, donauit agros conuicaneis; aliam vero substantiam disponens, pretium pauperibus erogauit, studiosi existimans philosophi, non solum semetipsum spoliare pecuniis, sed eas dispensare proficue. Iunctus autem studiosis secundum se viris, virtutes zelabatur vniuersorum, probans, bonam vitam suauem fieri consuetudine, licet fuerit primo difficilis. Modos inueniebat abstinentiae potioris, et quotidie exercitatione crescebat; et tanquam semper incipiens aliquid innouabat, afflictionibus corporis puniendo libidinem: sacrae vero sapientiae voluptate passionibus animae repugnando. Erat esca eius solus panis, et sal; potus aqua, prandiique tempus solis occasus. Frequenter duos, et amplius dies sine cibo manebat, vigilabat (vt ita dicatur) iugi nocte, et orationibus contingebat diem. Si vero somnus incumberet, stando paululum dormiebat, plerumque **pauimento** iacens, solamque terram stratum refectionis habens.

Comment [c24]: Pg.451

24 Et sequitur. Fuit gratus colloquentibus sine vlla tristitia. Et licet, qui cum eo disputarent, certatiue quaestiones inferrent, sapienter crescentem sedabat contentionem, et loquentium sibi strepitum temperabat, moresque eorum quasi quadam regula componebat, veram beatitudinem in cultura Dei, et legum eius obseruatione sitam esse dicebat. Seipsum discutere, et secum ponere rationem eorum, quae gesserat, die noctuque solebat. Erat laboriosus, maxime pro solatiis oppressorum, quorum gratia veniebat saepe ad ciuitates. Plurimi enim, vi compellente, cogeabant eum legatione fungi apud Iudices, et Magistratus, quorum singuli, vel videre eum iudicabant nimis egregium, loquentem audire, et praecipienti parere gloriosum. Qui cum talis esset, studebat tamen ignorari, et latere per eremum. Si necessitate faciente venisset ad ciuitatem, **disposito** negotio ad desertum continuo reuertebatur. **Pisces**, dicebat, per humectam substantiam nutriri, monachis ornatum fore vitam solitariam: et sicut illi terrae tractu tabesiunt, sic gloria Monachorum ad vrbes accedendo foedatur. Haec ille; vbi et alia egregia dicuntur de discipulis eius, sicut de Paulo cognomento Simplice, et Theodoro, et de Ammone Aegyptio.

Comment [c25]: Pg.452

25 Similiter de philosophia virtuosa praedictorum narrat Philo praedictus, sicut recitatur lib. 2. Eccles. histor. c. 17. Philo, loquens de abstinentibus apud Aegyptum in libro, quem de theorica vita intitulauit, viros cultores, et foeminas cultrices appellauit, hac de causa, quod conuenientium ad se animas tanquam rudes, et agrestes excolerent, vel quod erga Dei

Comment [c26]: Pg.453

cultum pura, et integra conscientia perdurarent. Primo omnibus facultatibus renuntiabant, deinde omnes vitae sollicitudines abiiciebant, et extra urbem egressi, in **hortulis**, vel exiguis quibusque agellis degebant. In multis, inquit, orbis partibus est hoc genus hominum, sed in Aegypto maior copia, praecipue contra Alexandriam. Regiae enim est philosophiae magis, quam frugibus opportuna. Et sequitur. Ab ortu enim diei vsque ad vespas omne eis spatium in studiorum exercitiis ducitur, quibus ad diuinam philosophiam per sacras litteras imbuuntur. Continentiam velut fundamentum quoddam in anima collocant, et ita demum super hanc reliquias virtutes peragunt aedificare. Cibum, potumque nullus eorum capit ante Solis occasum, tempore lucis scilicet cum philosophiae studiis, curam vero corporis cum nocte sociantes. Haec ibi; vbi et alia narrantur de praedictis.

Comment [c27]: Pg.454

26 Similiter lib. 9. c. 14. narrat de sic philosophantibus, sicut de Machario, et aliis. Nec non Ioannes Cassianus in collationibus suis refert de consimilibus. In quarum prima **prosequitur** de habitu Monachi. In secunda de canonico modo nocturnarum orationum, et psalmodia. In tertia de modo canonico diurnarum orationum. In quarta de institutis renunciationum. In quibus collationibus, et sequentibus recitat de sapientiali philosophia sanctorum Patrum. Similiter in tractatu decem collationum, in quarum quarta dicitur, quod maxima pars intelligentiae est scire quod nescias. Similiter in tractatu septem collationum, in quarum septima dicitur, quod quisque hominum artis peritiam assequi concupiscit, nisi omni cura et vigilia eius disciplinae studiis se mancipauerit, ac perfectorum magistrorum illius praecepta, vel instituta seruauerit, frustra in omnibus laborat. Nouimus, inquit, ad haec loca venisse aliquos cognoscendi tantum gratia ad Monasteria fratrum, non vt has regulas, aut instituta susciperent, quibus exprobari solet, quod non sui profectus gratia, sed vitandae **egestatis**, existimati sunt in prouincias comisse, cum nec ieiuniorum morem, nec psalmodiarum ordinem, nec indumentorum habitum permutassent. Haec ille. Huius sapientiae virtuosae humilitas est fundamentum, et etiam alphabetum, prout dicitur in Vitis Patrum lib. 2. c. de humilitate; vbi ait Abbas Arsenius, cum ab eo quaereret frater, quomodo rusticum istum de tot quaestionibus rebusque discendis interrogas, qui in Graeca, Latinaque lingua tantae eruditionis es? Cui ille: Illas eruditiones apprehendi, sed alphabetum huius nondum discere potui. *Vere vbi humilitas, ibi Sapientia.* Prouerb. 11.

Comment [c28]: Pg.455

27 Item, sapientia dicitur decimo modo, suspensiuam contemplatio Domini, et speculationis lippitudo: *In ipso omnes thesauri sapientiae, et scientiae sunt absconditi.* Coloss. 2. *Et ipse est fons omnis sapientiae.* Eccles. 1. *fons sapientiae verbum Dei in excelsis.* Ipsum ergo contemplari, et in ipso meditari, et ad ipsum aspirare, et **anhelare** sapientia Sanctorum contemplatiuorum fuit, prout ait Bernard. super Cantic. serm. 93. exponens illud Cantic.

Comment [c29]: Pg.456

*Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi.* Haec mea, inquit, subtilior, interiorque philosophia est, scire Iesum: Et serm. 13. *Origo fontium, et fluminum mare est, virtutum et scientiarum Dominus Christus, Deus scientiarum ipse est.* Si quis pollet ingenio, nitet eloquio, si quis moribus placet, inde est: thesauri enim sapientiae absconditi ibi sunt. Vbi bene de hac re. Et serm. 15. *Oleum effusum nomen tuum.* Si scribas, non sapit mihi, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Iesus. De hac sapientia, et philosophia gloriabatur Paulus Apostolus 1. Cor. 2. *Nihil me iudicavi scire inter vos, nisi Christum Iesum, et hunc Crucifixum.* Haec sapientia est abscondita ab oculis omnium viuientium carnaliter. Iob. 38. *Vnde venit sapientia, et quis est locus intelligentiae? abscondita est ab oculis omnium.* Vbi Gregor. Mor. 18. c. 28. *Quisquis sapientiam, quae Deus est, videt, huic vitae funditus moritur, ne eius amore teneatur; nullus quippe eam videt, qui carnaliter viuunt.* Exod. 33. *Non videbit me homo et viuunt.* De qua re Gregorius egregie loco proxime citato. Magna ergo, et mira est sapientia, siue philosophia Sanctorum omnibus his dictis modis.

Comment [c30]: Pg.457

Comment [c31]: Pg.458

28 Est enim origine coelestis, et est multiformitate varia fructuosa. Iacob. 3. *Quae de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, et fructibus bonis.* Ipsa enim est, quae descendit a fonte vitae, id est, Iesu, qui est fons vitae, liber vitae, et magister vitae, et veritatis, imo ipsa vita, et veritas. *Ego* (inquit, scilicet sapientia increata) *effudi flumina*, scilicet dictarum sapientiarum fluentia. Eccles. 24. vt enim ait Hugo super Angelicam Hierarchiam cap. 1 Sapientia **Gentilium** ascendit de sensu in imaginationem, de imaginatione in rationem, de ratione in intelligentiam; nec ulterius progreditur, sed in speculo sistit. Ista descendit in Seraphicis mentibus, et demum ad inferiores res terminatur. Et de hoc Gregor. in Pastor. par. 2. c. 2. vbi dictam auctoritatem exponit, quod *pudica* est ipsa sapientia, quia caste sapit, siue intelligit; *pacifica*, quia per elationem se minime a proximorum societate disiungit, et sic de aliis illius laudibus. Vel pudica est per spiritum sapientiae, pacifica per spiritum intellectus: et sic de aliis differentiis spiritus, de quibus Isaias 11. reddendo singula singulis; in illa enim est *spiritus intelligentiae vnus, et multiplex* Sap. 7.

Comment [c32]: Pg.459

29 Item ista sapientia est potestate virtuosa: sapientia enim *confortat sapientem super decem principes ciuitatis.* Eccles. 7. et hoc ideo quia coniungit hominem Deo, et firmat ipsum in Deo. Matth. 7. *Similabo eum viro sapienti, qui aedificat domum suam supra petram.*

Comment [c33]: Pg.460

Item ista sapientia est excessu summa, siue eminentissima, effectum saluberrima, et vtillima tum in praesenti, tum quia *concupiscentia sapientiae perducit ad regnum perpetuum.* Sap. 6. et Iob 28. *Non appendetur argentum in comparatione illius*, id est, sapientia philosophorum in comparatione illius, prout exponit Greg. Mor. 18. c. 28. Et de huius commendatione, et effectibus Salomon in libris suis quasi per omnia capita: *pretiosior est cunctis opibus.* Prouer. 3. et Sap. 7. *Non comparauit ei lapidem pretiosum, etc.*

## CAP. VI.

### *Vbi inuenitur sapientia ista, et a quibus?*

30 Vbi autem inuenitur haec sapientia, et a quibus, et qualiter? Iob. 28. *nescit homo pretium eius, non inuenitur in terra suauiter viuentium; Abyssus dicit: non est in me, et mare loquitur: non est mecum;* quod exponit Gregor. proxime citatus, de hominibus carnalibus, superbis, et cupidis, a quibus sapientia ista absconditur. Matth. 11. *Abscondisti haec a sapientibus, et prudentibus, et reuelasti ea paruulis.* Haec enim inuenitur ab animabus sanctitate puris, et mundis, et sic sub Deo ordinatis: *in animas sanctas se transfert.* Sap. 7 et Eccles. 2. *fili, concupiscens sapientiam serua iustitiam, et Deus praebebit illam tibi.*

Comment [c34]: Pg.461

31 Item inuenitur ab animabus eleuatis a mundi turbinibus, et tumultibus, et sollicitudinibus. Eccles. 38. *Sapientiam scribe in tempore vacuitatis, et qui minoratur actu, sapientiam percipiet, quia sapientia replebitur.*

Item inuenitur ab animabus humilitate virtuosis, talibus enim reuelat sapientiam suam Deus: *vbi humilitas, ibi sapientia* Prouer. 11.

Item inuenitur ab animabus deuotione feruidis, et contemplatione eleuatis. Sap. 7. *Optauit, et datus est mihi sensus, inuocauit, et venit in me spiritus sapientiae.* Patet ergo huius sapientiae inexplicabilis eminentia. Vnde et omnia, quae dicta sunt prius ad commendationem philosophiae humanae, magis proprie, et verius competunt huic verae sapientiae.

Comment [c35]: Pg.462

## CAP. VII.

### *De supereminentia sapientiae Sanctorum respectu mundanorum in vita, et in operibus.*

32 De eminentia vero sapientium hac vera philosophia, et sapientia saluifica praedictorum planum est. Ipsi enim sunt philosophi veri, id est, amatores verae sapientiae. Sicut philosophus est cognitor, amator, et imitator Dei secundum Platonem, vt ait Aug. 8. de ciuit. c. 4. cum praedicti sapientes sint tales in rei veritate, ipsi sunt philosophi excellentiores incomparabiliter omnibus philosophis mundanis. Et de ista excellentia agitur in Vitis Patrum lib. 2. vbi de patientia Sanctorum. Ibi enim narratur, quod philosophi venerunt probare Monachos, venitque vnus Monachus bene indutus, et dixerunt philosophi: veni huc. Ille indignatus, iniuriis aggressus est eos. Transiuit autem alius, genere rusticus, et dixerunt, tu Monache, male senex, veni huc; et ille cursim venit, et coeperunt alapas ei dare. Ille vero aliam maxillam conuertit, vt alteram alapam reciperet. At illi adorauerunt eum, dicentes. Monachus est iste. Et interrogauerunt eum, quid est quod nobis plus facitis? vos enim ieiunatis, corpora castigatis, sic et nos facimus. At ille: nos, inquit, in gratia Dei speramus, et per eam mentem nostram custodimus. At illi: haec nos custodire non possumus. Euidenter ergo apparet supereminentia perfectionis fidelium philosophorum, et diuinorum respectu mundanorum, quia ipsi custodiunt mentem ab exterioribus deordinationibus, nec non et exteriorem hominem ab exterioribus prauitatibus ex vera credulitate in verum Saluatorem ob spem vitae aeternae. Philosophi autem etsi exterius continuerunt se ab exterioribus imperfectionibus, non tamen continuerunt interius ex fide purificante, nec ob spem vitae aeternae.

Comment [c36]: Pg.463

Comment [c37]: Pg.464

33 Et de excessu istorum philosophorum verorum respectu aliorum Tertull. in Apolog. c. 46. disputans contra aduersarium prolixè, ait; Eadem, inquit aduersarius, philosophi monent, atque profitentur, scilicet innocentiam, iustitiam, patientiam, sobrietatem, pudicitiam, sicut Christiani. Et sequitur. Quomodo ergo Christiani excellunt philosophis? Mimice (inquit Tertullianus) philosophi affectant veritatem, et affectando corrumpunt, vt qui gloriam captant. Christiani eam necessario appetunt, et integre praestant, vt qui saluti suae curant, adeo neque de conscientia, neque de disciplina, vt putatis, aequamur. Et addit. Nomen hoc philosophorum daemona non fugat; nec ducuntur ad passiones nolentes sacrificare, sicut Christiani.

Comment [c38]: Pg.465

34 Si de pudicitia prouocemus, similiter patet excessus, quia lego partem sententiae Atticae in Socratem, corruptorem adolescentium pronunciatam; foemineum sexum nec mutat Christianus. Noui et Phrynen, meretricem Diogenis, supra recubantis ardorem subantem. Audio et quendam Speusippum de Platonis schola, in adulterio periisse: Christianus vxori suae soli masculus nascitur. Democritus excoecando semetipsum, quod mulieres sine concupiscentia aspicere non posset, et doleret, si non esset potitus, incontinentiam emendatione profitetur. At Christianus saluis oculis foeminas videt, animo aduersus libidinem coecus est. Si de probitate defendam, ecce lutulentis pedibus Diogenes superbos Platonis thoros alia superbia deculcat; Christianus nec in pauperem superbit. Si de modestia certem, ecce Pythagoras apud Thirios, Zeno apud Prienenses tyrannidem affectant; Christianus vero nec aedilitatem. Si de aequanimitate congrediar, Lycurgus apocarteresin optauit, quod leges eius Lacones emendassent; Christianus etiam damnatus gratias agit. Si de fide comparem, Anaxagoras depositum hostibus denegauit; Christianus etiam extra fidelis vocatur. Si de simplicitate consistam, Aristoteles familiarem suum Hermiam, turpiter loco excedere fecit; Christianus nec inimicum suum laedit. Idem Aristoteles tam turpiter Alexandro regendo potius adulatur, quam Plato a Dionysio ventris gratia venditur. Haec ille; et sic de aliis, quos ibi enumerat.

Comment [c39]: Pg.466

35 Ex dictis intendit manifestare supereminentem fidelium perfectionem in Christo credentium respectu philosophorum Gentilium. Deinde ibidem opponit, quod dicet aliquis, etiam de nostris excidere quosdam a regula disciplinae, et peccare, et malefacere. Cui egregie respondet, quod tales definunt tum Christiani haberi penes nos; philosophi vero illi cum talibus factis in nomine et in honore sapientiae perseuerant: quasi dicat, Christiani peccantes manent inhonorati, quamdiu tales sunt; sed philosophi praedicti manentes in malefactis suis honorantur, et sunt in reuerentia, eoque nomine dignantur et censu.

Comment [c40]: Pg.467

36 Qualiter autem perfectiones, quae fuerunt in philosophis vmbraticae, scilicet vitiorum detestatio, mundi contemptus, passionum interiorum edomatio, et sic de aliis, quae enumerata fuerunt in priori tractatu, fuerunt in philosophis Christianis secundum rei veritatem, satis patet ex dictis; ipsi enim fuerunt pleni Spiritu Sancto, qui effugit fictum. Sap. 1.

Comment [c41]: Pg.468

37 Et de comparatione philosophorum mundanorum, et philosophorum diuinorum, et de excessu istorum respectu illorum circa veritatem doctrinae, Aug. 18. de ciuit. c. 41. ait, quod Anaxagoras Athenis reus factus sit, quia dixit, solem esse lapidem ardentem, negans vtique Deum. In eadem ciuitate floruit Epicurus, vixitque securus, non credens solem esse Deum, sed nec etiam Iouem. Ibi etiam floruit Aristippus, in voluptate corporis summum bonum ponens. Ibi Antisthenes, virtute animi per se hominem fieri beatum asseuerans, et sic de aliis philosophis varia opinantibus, de quibus loquitur ibi Augustinus.

38 At vero gens illa, ille populus, illa ciuitas, illa respublica, illi Israelitae, quibus credita sunt eloquia Dei, nullo modo pseudopphetas cum veris prophetis pari licentia confuderunt. Et sequitur. Ipsi eis erant philosophi, hoc est, amatores sapientiae, ipsi sapientes, ipsi Theologi, ipsi prophetae, ipsi Doctores probitatis atque pietatis. Quicumque secundum illos sapuit, et vixit, non secundum homines, sed secundum Deum, qui per ipsos locutus est, sapuit, et vixit. Ibidem. Si prohibitum est sacrilegium, Deus prohibuit; si dictum est, honora patrem tuum etc. Deus iussit etc. Non haec ora humana, sed oracula diuina fuderunt. Haec ille.

Comment [c42]: Pg.469

39 Ex quibus omnibus manifesta est excellentia diuinorum philosophorum respectu mundanorum, et similiter eminentia istius sapientiae, quia diuina, respectu sapientiae illorum, quae humana est, et diabolica. Ergo sapientia terrena, et animalis exterminanda est; humana vero ordinanda, et dirigenda; diuina appetenda, et acquirenda: quae amicos Dei et prophetas constituit. Sapient. 7. Et haec ad praesens de istis dicta sufficiant.

FINIS.